



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117859**

§.46. Secundæ Nuptiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

dorus datis ad germanum Archiepiscopus <sup>Sæculum IX.</sup>  
 pum litteris tanta calamitate pressum <sup>A. C. 809.</sup>  
 consolatus est.

## §. XLVI.

*Secundæ Nuptiæ.*

Theodorus in Epistola ad Naucratium  
 Discipulum suum agit de secundis  
 nuptiis. *Secundo nubere, inquit, per A-*  
*postolum & per ipsum Jesum Christum*  
*permittitur, sed lege non præcipitur, ut*  
*docet Gregorius Theologus; nam indul-*  
*gentia est. Atqui ex indulgentia præ-*  
*sumitur fragilitas & actus reprehensibi-*  
*lis. Quod indicat Apostolus, dum dicit: 1. Cor. 7. 9.*  
*Si se non continent, nubant. Inconti-*  
*ad Amphil.*  
*gentia autem infirmitas est. Hinc vete-*  
*c. 4.*  
*res Patres penitentiam injunxerunt bi-*  
*Sup. Lib.*  
*gamis, & in Concilio Laodiceno quidem*  
*XVII. §. 45.*  
*tempus non præscribitur, at S. Basilius*  
*can. 7.*  
*præscribit annum unum, atque tertiis nu-*  
*nuptiis, & ultra, annos duos. Unde etiam*  
*Concilium Neocæsariense prohibet Sacer-*  
*dotibus, ne secundo nubentium convivii*  
*intersint. Itaque dignum & æquum est,*  
*ut coronetur primum matrimonium, quod*  
*proprie legitimum est & incontinen-*  
*tiam vincit. His vocibus utitur Theo-*  
*dorus, quia Græci Benedictionem nu-*  
*nuptialem Coronationem appellare sole-*  
*bant. Hanc Coronationem, inquit, Sa-*  
*sra Communio comitatur, & Sacerdotes*  
 Y y 2                    *ipsius*

Sæculum IX.  
A. C. 809.

*ipsius Jesu Christi exemplum sequentes nuptiali convivio assident. At secundum matrimonium non coronatur, quia nubentes ab infirmitate vincuntur, & Sacra Communio non præbetur, quia Bigami uno duobusve annis ea privandi sunt, non datur Benedictio, quia illa unica est in primis nuptiis. Ergo secundum Scripturam & Patres sequitur, Sacerdotem secundas nuptias non conficere, sed solum contrabentes post impletam penitentiam, quando iisdem communicare licet, recipere. Tunc iis quamdam Benedictionis nuptialis speciem tribuit. Si quaeras, quomodo ergo cobabitent, respondeo, id fieri vi contractus civilis (\*) sicut in Trigamia, vel in Polygamia, hoc enim nomen Patres matrimonio quarto dederunt. Forte etiamnum quaeres, si pars una nubentium sit Virgo; an parti Virgini corona super caput, & alteri super humerum, ut dicunt, ponenda sit. Hac quaestio mihi visu excipienda videtur, nam quo deinde corona in tertiis nuptiis ponenda erit? existimo igitur, partem Virginem merito suo privandam privilegio Virginum, eamque bigamiae penam sponte subire, cum propria voluntate parti alteri non Virgini jungatur.*

Inter

(\*) Nihilominus Matrimonium Bigamorum est Sacramentum.

Inter Epistolas Theodori in carcere scriptas reperitur quodlibet Monogram-  
phum, quo amicos suos designabat. Sunt nempe Græci Alphabeti litteræ, quæ viginti quatuor Personas significabant. Alpha S. Platonem, Betha Archiepiscopum Josephum, Gamma Calogerum, Delta Athanasium, & sic de cæteris, indicabant, usque ad Omega, quam litteram loco proprii nominis Theodorus ponere solebat. Visuntur etiam nomina multorum ex illis, ad quos Epistolæ diriguntur, videlicet Athanasii, Nicolai, Arsenii, Basilii, Euprepiani, & illorum de quibus in his Epistolis mentionem facit.

Sæculum IX.  
A. C. 809.  
I. ep. 41.

## §. XLVII.

*Theodori Epistolæ ad Papam.*

Theodorus gravi persecutione pressus ad Papam Leonem III. confugere non omisit. Scripserat ad eum ante exilium suum Epistolam, quam Imperatoris iram reveritus delevit; sed Epiphanius Abbas, qui eam delaturus erat, cum ejusdem tenorem memoria retineret, secundo conscripsit, & Theodoro in exilium misso ad Papam detulit. Non habemus hanc Epistolam, sed primæ, quæ ad nos usque pervenit, ab Eustathio delatæ hoc est initium: *Quandoquidem Petro Magno Christus Deus Pastoralis etiam Principatus contulit Dignitatem, ad Petrum*

I. ep. 33.

Yy 3

trum